Ob Epistolam Dedicatoriam Conringius Castigatur.

AUdi igitur Hermanne! Quòd in voluminis tui illustribus provinciæ Wolffenbütelensis Ordinibus factâ inscriptione dicis non fuisse à te in animadversione tuâ Capucinos vel uno verbulo *nominatim* tactos, verum est; at tetigisti nihilominus eos apertissimè venenato illo opprobrii telo p. 12. *Minimè omnium te latet, quanta in Italis tuis Antonianorum Sodalium* (id est, ut discuss: p. 69. dicis: *Antonii Patavini Sodalium*, sive Fratrum Minorum, ac per consequens Capucinorum) *soleat etiamnùm esse fingendi ac populum improbè decipiendi effrons impudentia.* Tetigisti eos p. 42. ubi scribere non dubitasti fel. rec. Episcopum ad σκληροκαρδίαν quorundam permisisse libellum. Tetigisti eos in Patre suo, cùm p. 12. apertè innuisti S. Franciscum stolido fastu inflatum, atque à Diabolo stigmatizatum fuisse.

Unde justissimum profectò fuit, ut te, sine datâ à quopiam Fratrum Minorum meorumque causâ, tam atrociter ac iniquè criminantem, ipsique Matri meæ Ecclesiæ Rom. adeò petulanter insultantem saltem salsiore subinde verbulo exploderem ac propulsarem.

Porrò FALSISSIMUM est 1. libelli mei CHARTAS OMNES *esse scurrilibus sannis fædè inquinatas.* Vah! Hermanne, TE tantam contra conscientiam tuam scribere falsitatem! arbitros appello oculos hominum quorumcunque.

FALSISSIMUM 2. est illud: *haud dubitavit* (Dionysius) *& me,*